

§. II.

Iam vero singulas istas philosophorum scholas
persequi hoc quidem tempore nostri consilii
non est. Neque tamen veterum philosophorum
cuiquam fortasse maiorem iniuriam isto iudicio
nostro fecisse nonnullis videamur, quam THA-
LETI & PYTHAGORAE, quorum posterior
maxime haud exiguam theologica ratione sua,
recentiori etiam memoria, apud plerosque con-
secutus est auctoritatem: nec etiam in vtriusque
philosophia defunt, quae ad eruditissimorum
commentatorum disputationes addi possint.
Periculum igitur in his duobus viris faciamus
considerandi, ecquid certius de eorum theo-
logicis sententiis definiri, aut vberius explica-
tiusque tradi posse videatur. THALES vero
Milesius eorum, qui artem quandam philosophiae
disciplinamque inter Graecos constituerunt, prin-
ceps perhibetur: cuius ratio vniuersa physica
fuit, in qua simul priscarum gentium more o-
mnium, tota eius inest de natura deorum dispu-
tatio. Neque a successoribus eius aliud fere
quidquam tractatum est, praeterquam physica,
dum noua plane philosophiae forma introdu-
ceretur a Socrate (f). Nemini autem hoc loco
mirum videri debet, quaecunque de antiquissi-
morum huius scholae philosophorum decretis
exponi soleant, in conjecturis fere versari, quan-
doquidem nec ipsorum, quos confecerunt, phi-
losophiae commentarii hodie vlli exstant; &

B 2

auto-

(f) CIC. QQ. AA. L. I. c. 4.